



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo Purificationis Deiparæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

runt. Est hæc fortitudinis virtus non solum propter excellentiam suam admirabilis, verum etiam cuius Christiano necessaria. *Mense IX. Disc. 249. pag. 68.*

IN FESTO
PURIFICATIONIS DEIPARÆ.

I.

Quod parâsti ante faciem omnium populorum. Luc. 2. v. 31.

Christus ad omnium hominum redemptionem venit, ut, quisquis vult, salvus fiat. Pereunt tamen plurimi suâ culpâ, sicut Simeon prædixit: *Positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum.* Nostrum est, curare, ut JESUS sit nobis in salutem. *Mense X. Disc. 280. pag.*

III.

2.

Perfecerunt omnia secundum legem Domini. Luc. 2.

Nihil omnino Maria & Joseph omiserunt, quod lex Domini requireret à quacunque femina, licet Maria, quæ manserat sine macula, purificationis lege prorsus exempta fuerit: tam aliena tamen erat ab omni culpa, ut etiam umbram culpæ timeret. Quo exemplo docemur etiam venialia vitare peccata, quia lege Domini prohibentur, qui tamen per eorum

n s

rum

rum commissionem offenditur. *Mense IV. Disc. 105. pag. 230. usque ad num. 7.*

3.

Perfecerunt omnia secundum legem Domini.
Luc. 2.

Non attentâ virginitatis suæ illibatâ integritate Maria purificari secundum legem voluit, ne vel in minimo declinaret; famæ suæ non curans dispendium, ut impleret legem Domini, quem intimè diligebat. Meritò igitur erubescere debemus alienissimi ab ipsius puritate, si mortalia solùm peccata fugere contenti, venialia ferè sine numero committere non formidamus, & per id tenuissimum in nobis amorem DEI esse ostendamus. *Mense IV. Disc. 105. pag. 237. usque ad finem.*

4.

Par turturum, aut duos pullos columbarum.
Luc. 2.

Semper DEO in amoribus simplicitas fuit. Ipse Christus dum iussit: *Estote prudentes, sicut serpentes; protinus addidit: Et simplices, sicut columbæ.* Et Spiritus Sanctus in ipsum baptizatum in specie columbæ descendit. Pro nullo infante æquiùs oblatus sunt columbarum pulli, quàm pro Christo, simplicitatis amatore & prædicatore. O nos beatos, si hanc nobis virtutem simplicitatis comparaverimus! hæc enim & DEO maximè placet, & homini pluri-

plurimum prodest. Mense VIII. Disc. 233.
pag. 326.

IN FESTO
S. MATHIÆ APOSTOLI.

1.
Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.
Matth. 11.

Quantopere vel umbram superbiæ & humani splendoris aversetur DEUS, satis ostendit in electione S. Mathiæ. In locum Judæ statuerunt Apostoli duos, viros verè sanctos: inprimis Josephum, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus: & Mathiam. Non illum tam nobilem, tam nominatum, ac celebrem, sed simplicem Mathiam in Apostolum elegit DEUS: *Cecidit fors super Mathiam.* Discamus ex hac electione verum odium omnis superbiæ, utpote quæ hominem simillimum diabolo, dissimillimum Christo facit. Mense V. Disc. 147. pag. 529.

2.
Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. *Matth. 11.*

Nihil abscondit DEUS illis, qui sapiunt secundum DEUM, & ad sobrietatem. Illis
ergo